

enigmata q̄ in hac vita inveni.

par. s̄ nō potat p̄fic̄ in m̄



III.

DISPUTATIO
DE
JURISDICTIONE

Quam

C. D. A.

Permissu Amplissimi Jctorum ordi-
nis in illustri Salanâ

P R Æ S I D E

Dn. JOHANNES SVEVIO J.U.D.

*Professore publico, & Dicasterij Provincialis
Assessore:*

Publicè in acroasi Jctorum discuti-
endam proponit

Ad diem 1. August.

CHRISTOPH CARLL von Brandenstein.

J E N Æ

Excudebat Christophorus Lippoldus,
ANNO M. DC. VII.

Illustrissimo ac Potentissimo Principi, ac Domino,

*Dn. CHRISTIANO II. Electori Saxon: &c. à Consiliis intimis,
Magnificis, Nobilitate generis, sapientia, doctrina, eloquentia, vir-
tutumq; laude eminentissimis viris,*

Dn. CASPARO à SCHÖNBERG
in Pulsnik / Judicii Appellationum supremi Præsidi
dignissimo &c.

Dn. CHRISTOPHORO à LOSS
Juniori in Bilnik &c.

Dominis suis & Patronis, summo observantiæ
studio colendis.

MAGNIFICI ATQ; EMINENTISSIMI VIRI, EX ERU-
dito disputationum usu, tanquam ex fonte purissimo, in omnes studio-
rum & totius vitæ humanæ partes, rivulos limpidissimos politioris lite-
raturæ, maximarumq; utilitatum, diffundi & dimanare omnibus con-
stat, hoc enim medio, sæpè veritas profundo puteo demersa eruitur, ac sæpius agi-
tata, magis in lucem splendescit, hinc fit, ut adhibita placida, veritatisq; indaga-
trice collatione, tenebricantes illæ nebulæ, ex lacunis traditionum & communium
opinionum, nobis offusæ, feliciter discutiantur, & hoc ipsum Veteres Jcti in con-
stituenda juris arte mira dexteritate præstiterunt, de Herennio Modestino legimus,
eum decaprotias & Jcosaprotias, mixta esse munera, & notando & disputando be-
nè & optima ratione decrevisse, de Æmilio Papiniano Paulus refert, in ejus audito-
rio gravissimas controversias occurrisse, & exquisito differendi examine decidas ac
definitas fuisse. Hoc ipsum ego mecum perpendens, & apud Musas fructum decer-
pere cupiens, disputationem: de Jurisdictione, abstrusam ac sui difficultate dudum
nobilitatam, captumq; meum, qui impubertatis annos jam egredior, longè supe-
rantem, publicè discutiendam proposui. Hoc literarium & levidense munuscu-
lum, V. M. offero & consecro, ut & studiorum meorum rationem declararem iis-
dem & observantiam meam testificarer, obnixè rogans ut id benigno vultu suscipe-
re & me posthac suæ benevolentiaë fotu profèqui non dedignentur. Valete viri
Eminentissimi athleticè. Dabantur Jenæ 26 Jul: A. 1607.

V. M.

Observantiß.

Christoff Carl von Brandenstein.

T H E S E S

De Jurisdictione

I.

JURISDICTIONIS MATERIA pro Juris civilis parte nobilissima ac difficilima, antiquitatisq; doctrina literatissima meritò, habetur, cum claustra civilis disciplinæ continere, nec unquam ita de ea dictum esse, ut satis explicata videatur, doctissimi quiq; testentur:

Govean. ad Petr: Castellan. Duar. de Jurisdic. c. i. unde in ea investiganda tam turpiter antiquitatis ignoratione lapsos Interpretes fuisse, Muretus dicit, ut in cæteris juris articulis aliquid quidem vidisse, in hoc autem planè cæci fuisse videntur: ex antiquioribus moderatius Mureto teste, Accursius insanit, & pauca quædam erroris & inscitia semina sparsit, ex recentioribus primus Antonius Goveanus hujus tam recondita materiae adyta penetrasse & claustra reserasse censetur, quo nomine meritò ei à Cujacio & Anton: Fabro, postpositis omnibus Justinianeï juris interpretibus, palma defertur.

II.

Jurisdictionis vocabulum à jure dicundo derivatur *a* ac in genere *b* vel specie sumitur, *c*

A 2

a l. i.

a l. 1. junct: rubric: de Jurisdic: l. 12. de vulg: & pupillar: subst: Govean: Duaren: Cujac: Donell: Vacca ad rubr: Muscorn: Pincier: Alit: Gloß: Azo. Tiraquell: qui à jure & ditione derivant *b* exemplo adoptionis, cognationis, &c. l. 2. §. 23. de O. J. l. 7. §. 2. & l. seq de offic: procos: l. 1. de offic: ejus cui mandat: est Jurisd: l. 3. junct: rubr: de Jurisdic: l. 16. de offic: præsid: Duaren: c. 1. de Jurisd. & lib. 1. disput. annivers. c. 53. Longovall. de Jurisd. contra Gillot. n. 3. Lescur. in sua prælect: de Jurisd. in fin. Muscorn. n. 11. Gædd. ad l. 99. de V. S. &c. 5. de contrah. & committ. stip. concl. 14. Scip. Gentil. de Jurisd. c. 2. Vult. 1. Jurispr. Rom. c. 12. Francisc: de Clapper. ad l. 3. de Jurisd. Loriott. tract: 2. ax: 2. Contrarium nempe Jurisdictionem non esse genus Imperii fortiter propugnant Ant. Vacc. ad rubr. & l. 2. h. t. Charond. Muret: hic, Obrecht. de Jurisd. c. 2. Bellon. 3. supp. 6. Pincier. c. 2. Vid. Govean. ad l. 3. h. t. n. 10. Donell. 17. comm. 8. Vasq. illustr. controv. lib. 1. c. 4. n. 2. Forcatul. dial. 120. n. 8. Hott. 7. obs. c. 16. *c* l. 1. §. fin. de offic. ejus cui mandat. est Jurisd. l. 5. l. 6. l. 16. l. 17. h. t. l. 4. §. 6. de offic. procos. & leg. Duaren. d. lib. 1. disp. 53. Vincent. Cabot. 2. disp. 9. Dn. Arum. disp. p. 2.

III.

In genere est notio *a* causarum *b* cum exequendi potestate. *c*

a l. 99. de V. S. l. 1. §. 4. de offic. præfect. urb. l. 8. de calumniator Donell: 17. commentar. c. 6. Gentil. c. 1. Obrecht. c. 1. Gædd. ad l. 99. de V. S. Hackelm. illustr. quæst. disp. 1. thes. 25. Interpretes si consulueris, tot habebis definitiones, quot capita, Alit. Accarf. in l. 3. h. t. Govean. lib. 2. de Jurisd: Alciat. 2. dispunct: 24. Charond. n. 5. Vacon: à Vacun: 6. declarat. jur. 77. Loriott. tractat. 2. ax. 2. Forcat. dial. 120. n. 4. Vult. 1. Jurispr. c. 12. Clapper. concl. 1. n. 2. Longovall. Muret: tract. hic *b* five civilium five criminalium d. l. 1. §. 4. de offic: præfect: urb: l. 1. de

l. 1. de offic. ejus. eleg. hoc: defendit Longovall: & Loriott. contra Gillot: qui imperium in executionibus tantum sententiarum consistere & vim suam exerere contendit, ac Muscorn: contra Charond. ac Hott. n. 16. c. quæ Jurisdictionem à simplici notione, cujus pedanei judices capaces sunt, discerint, hi enim omni potestate exequendi destituuntur l. 5. l. 15. de re judicat: l. ult: C. ubi & apud quem cognit: in integr: restit: agit: l. 5. C. de judic: Duar. c. 6. de Jurisd. & ad d. l. 15. de re judic. Don. 17. com. 6. Forner: Gædd. ad l. 99. de V. S.

IV.

Dispescitur in imperium & Jurisdictionem.

d. l. 2. §. 23. de O. I. l. 1. & l. ult. de offic. ejus. de simplici sermo hic nobis non est, nulla enim Jurisdictio sine coercitione modica invenitur teste Paulo in d. l. ult: nec Ulpianus in l. 3. h. t. species Jurisdictionis sibi tractandas assumens ejus meminit, sicuti id eleganter probat Alexand: Turaminus epistol: academ: 8. Donel. 17. com. c. 6. Obrecht. c. 1. Gentil. c. 2. de Jurisd. Gædd. ad l. 215. de V. S. n. 10. Imperium aliis potestas publica est, cui parere necesse est, vid. d. l. 215. & ibi Gædd. de V. S. l. 4. de recept. arbitr. l. 13. de re judicat. Obrecht: c. 3. Hackelm: illustr. quæst. disp. 1. Francisc. de Clapper. conclus. 3. Charon. c. quid sit imperium.

V.

Imperium vel merum est, vel mixtum *a* Merum dicitur purum, simplex, sejunctum à Jurisdictione speciali *b* mixtum quod illi cohæret & admixtum est. *c*

A 3

a l. 3.

a l. 3. h. t. l. i. §. i. ult. de offic: ejus *b* arg. l. 81. de condit: & demonstrat. l. 98. §. 6. de solut. l. 31. de pos: eleg. Duar. i. disput. c. 53. Oldendorp. ad l. 5. de offic. ejus Don. 17. comm. 8. Vasq. i. controvers: illustr. c. 4. n. 2. Govean: ad l. 3. h. t. Muscorn. n. 37. Gædd. de contrah. stip. c. 5. conclus: 3. & ad l. 215. de V. S. Vacon: 6. declar. 78. n. 7. Confirmat hanc interpretationem oppositio meri & mixti imperii, quod enim in l. 3. h. t. mixtum dicitur, illud in l. ult: de offic: ejus non merum appellatur, ut necesse sit, qua ex re admixta dicitur mixtum, eadem detracta dici merum
c d. l. 3. l. i. §. fin: l. ult: de offic: ejus Duaren: Donell: Muscorn: d. loc: Charond: c. de mixt: imper: Bellon: 3. supput: c. 5.

VI.

Merum imperium est habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines.

l. 3. h. t. l. 6. in pr: de offic: procos: & leg: l. 70. de R. J. Alciat: 2. paradox. 7. 8. Govean: ad d. l. 3. h. t. Duaren: d. c. 53. Donell: 17. comm: 8. Cujac: 21. obs: 30. Sigon. 2. de judic: c. 4. Muscorn: n. 40. Sverin: repetit: lect: c. 6. Walther. lib. i. miscell. c. 2. Gentil. lib. 3. c. 3. Charond. c. quid sit imper. Vasq. i. controvers. 4. Cabot. 2. disp. c. 5. Vult. i. Jurispr. 12. Clapper conclus. 4. Longovall. part. 2. l. 3. h. t. Nec in bruta & defunctorum cadavera exercetur arg. l. i. si quadr. pauper juncta l. ii. §. 2. ibi Accurs. de pœn. l. 6. de publ. judic. l. 2. C. si reus vel accusat. mort. Vid. Clapper. concl. 4. n. 6. Obrecht. c. 9. Muscorn. n. 46. Gentil. lib. 3. c. 4.

VII.

Gradus ejus tres constituuntur, 1. circa mortem naturalem versatur 2. circa civilem 3. circa quamlibet graviorem

viorem corporis, bonorum coercitionem, ac existimationem.

arg. l. 28. §. 1. & 2. de pœn. l. 2. de Publ. judic. l. 6. in pr. de offic. procos. & leg. l. 70. de R. J. Alciat. 2. paradox. 7. & 8. Cujac. 21. obs. 30. Robert. 4. sentent. 22. Sverin. repetit. lect. c. 6. Cabot. 2. disp. c. 5. Coraf. 3. misc. 17. n. 9. Clapper. conclus. 6. vult. 1. Jurispr. 12. Obrecht. c. 7. Gentil. lib. 3. c. 6. Rectè Cujac. monet, regulam juris, cui quod plus est, licet, licere debet id quod minus est, in mero imperio suum officium perdere per l. 6. §. 8. de offic. præsid. juncta l. 8. §. 5. de pœn. quod ipsum tamen non usquequaq; expeditum est. Hott. 3: obs. c. 12. inde etiam profluit distinctio meri imperii in plenum & minus plenum de qua vid. Obrecht. c. 3. n. 13. eleg. Gentil. lib. 3. c. 20. Hackelm. illustr. quæst. disp. 1. th. 25. Dn. Arum. disput. p. 2. th. 3.

VIII.

Membri abscissionem ad tertium gradum rejicimus.

l. 2. de publ. judic. l. 8. §. 3. & 4. l. 10. qui testam. fac. pos. l. 6. §. 6. de injust. rupt. irrit. testam. c. ult. Auth. ut nulli judic. fac. l. 2. & l. 28. de pœn. Menoch. lib. 1. de arbitrar. judic. quæst. 87. n. 9. Delrio ad l. transigere C. de transact. n. 44. Valasc. ad l. 3. h. t. Gentil. lib. 3. c. 8. Vid. Farinac. part. 1. de delict. q. 19. n. 25: Obrecht. c. 7. Muscorn. n. 58. Hackelm. illustr. quæst. disput. 1.

IX.

Ob subsequentes quæstiones inculcanda hic est regula illa Papiniani celebratissima: Quæcunq; specialiter lege,
vel

vel Senatuconsulto vel constitutione principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur: quæ verò jure magistratus competunt mandari possunt.

Alciat. 2. paradox: 1. Duar: c. 5. de Jurisd. Cuj. Oldend. Muret. Obrecht: Coraf: Fab; ad l. 1. de offic. ejus cui mandat. Donel. 17. comm. c. 8. Gentil. lib. 3. c. 25. Vacon. à Vacun. 6. declarat. 75. & 78. Fachin. 9. controvers. c. 97. sive sint causæ privatæ & pecuniariæ, sive publicorum judiciorum quæstiones, de quibus in d. l. 1. Papinianus principaliter agebat.

X.

Consequitur inde merum imperium mandari non posse.

d. l. 1. de offic. ejus l. 6. in pr. de offic. procos. & leg. l. 71. de R. J. fac. l. 2. §. 7. de vacat. & excusat. mun. l. 1. §. 8. ad Senatuconsultum Turpill: videtur enim electa personæ industria & fides l. un: de offic: præfect: prætor: ut per alium explicari non possit. l. un: §. 16. C. de caduc. tollend: Alciat: 2. paradox: 6. Govean. Cujac. Duaren. ad l. 3. h. t. Oldendorp. ad l. 1. de offic. ejus. Coraf. ad l. 6. de offic. procos. & leg. Petr. Fab. ad l. 71. de R. J. Walther. 2. miscell. 9. Longovall. part. 3. Cabot. 2. disp. 7. Menoch. 1. arbitr. quæst. 54. Anton. Vacca ad d. l. 1. de offic. ejus. Obrecht. c. 5. Charond. c. quid sit imper. Gentil. lib. 3. c. 25. Suerin. repetit. lect. c. 6.

XI.

Excipit Papinianus unicum absentia casum non infirmatis, vel alios ab Interpretibus inductos.

d. l. i. de off. ejus cui mandat: l. i. §. 8. ad SCtm Turpill: Cujac.
Muret: ad d. l. i. Muscorn: n. 134. Obrecht: c. 5. Gentil: lib: 3. c. 28.
Cabot: 2. disp. 7.

XII.

concessa Jurisdictione à principe
merum imperium nō videri concessum.

d. l. i. de off: ejus. vid: de hac quæstione: Menoch: 3. præsumt:
97. Vult: tract: feudal: lib: i. c. 5. Borch: c. 6. n. 35. Longovall: fol.
237. Curt: junct: Valasc: ad l. 3. h. t. n. 35. Covarru: pr. quæst. i. n. 9.
Sonsbec: part: 8. n. 23. Wesenb. conf: 95. Rosenth: c. 5. concl: 7.
Muscorn. n. 17. Hackelm. illustr: q. disp: i. Obrecht. c. i. Gentil.
libr: 3. c. 23. Dn. Arum: disp. p. 2. Bronch. centur: i. assert: 17.

XIII.

Principis delegatum causas meri
imperii subdelegare non posse.

l. 6. in pr. de off. procos: l. 70. de R. J. fac. benè considerata l.
un. C. qui pro sua Jurisdic: jud. Menoch. de arbitr: jud: quæst.
54. Muscorn: n. 136. Fach. i. controvers: 47. vid. Don: 17. comm.
22. Gentil: lib. 3. c. 28.

XIV.

Quid de controversia illa inter A-
zonem & Lotharium agitata? *a* Azo-
nis sententiam, quæ album apud nostros
tulit calculum amplectimur. *b*

a scilicet an Princeps in aliquem merum transferat imperi-
um, an saltem ejus exercitationem, hoc voluit Lotharius, illud A-
zo, pro Lothario Henricus Imperator pronunciavit, rejecta A-
zonis sententia, & ideo Lotharius equum ex sponfione deposi-
tum obtinuit, unde diverbium ortum, Lotharium iniquum di-

B xisse

xisse, & equum obtinuisse, Azonem dixisse æquum, sed equum
 perdidisse *b* l. 1. in pr. de off. ejus l. 6. in pr. l. 8. 11. de off. procos. &
 leg. l. 3. de Jurisd. l. 4. l. 6. §. 8. de off. præsid. l. 2. de in jus voc. Duar.
 ad l. 3. de Jurisd. Vacc. in l. 6. de off. præsid. Forcat. in aviar. c. 3. n.
 3. Muscorn. n. 33. Walther. lib. 2. miscell. c. 9. Bronch. 1. enantio.
 15. vid. Alciat. 2. paradox. 6. Dn. Arum. dlspat. p. 2. Joachim. Ste-
 phan. de Jurisd. c. 3. Gentil. lib. 3. c. 23

XV.

Mixtum imperium est, cui Jurisdi-
 ctio inest, quod in danda bonorum pos-
 sessione consistit.

l. 3. h. t. mirum in modum contorquent hæc verba Dd. &
 quisq; ad sensum suum illa deflectere studet Alciat. 2. paradox.
 c. 8. Govean. lib. 2. de Jurisd. Robert. lib. 4. sentent. c. 22. Co-
 ras. lib. 3. miscellan. c. 17. Anton. Fab. 4. conject. 4. Longovall. ad
 l. 3. h. t. Benè Cujac. in recitat. ad d. l. 3. & lib. 20. obs. c. 30. Ho-
 toman. 7. observat. 17. Alexander Turaminus epistol. forens.
 14. Walther. 1. miscel. 2. Henr. Sverin. repetit. lect. c. 6. Cabot. 2.
 disput. c. 8. Gentil. lib. 1. c. 4. Fachin. 9. controvers. 95.

XVI.

Duo exempla mixti imperii ab Ulpi-
 ano recensentur, bonorum possessio-
 nem dare *a* & jubere judicare seu judi-
 cis dandi licentiam habere. *b*

a Jurisdictioni tribuitur à Longovallio & Fabro quos refu-
 tat ratio l. 3. h. t. sicuti id demonstrat Cujac. Turaminus, Gen-
 tilis, Cabotius, Waltherus, *b* l. 12. de judic. l. 13. de Jurisd. Alciat.
 2. paradox. 7. Cujac. d. lib. 20. observat. 30. Alex.
 Tura.

Turamin. lib. singul. epistol. Academic. 8. Cabot. 2. disput. 9. Coras. ad l. 1. de Jurisd. Bellon. 3. supput. c. 4. Aliter sentit Durarenus c. 2. de Jurisd. quem sequitur Treutler. disput. 3. vol. 1. thes. 4. Distinguunt inter dare judicem & jubere judicare Muscorn. n. 160. Charond. c. de mixt. imper. quos bene refutat Donell. 17. com. 23.

XVII.

Ob juncturam illam & commixtionem, quæ in persona exercente refulget, nil est Jurisdictionis quod non sit imperii & contra.

l. 1. l. 3. l. 4. de Jurisd. l. 12. de judic. Cujac. : 21. obs. c. 30. Charond. c. de mixt. imper. Cabot. 2. disp. 9. Obrecht. c. 1. & thes. 345. Gentil. 1. de Jurisd. c. 3.

XVIII.

Quamvis si naturam & vim utriusque spectes inter se distincta sint, quoque male Cujac. negat.

Cujac. 21. obs. c. 30. Obrecht. th. ult. Bocer. de Jurisd. th. 5. ad quod demonstrandum Harmenopuli auctoritatem accessit Cujac. qui tamen Donello nostro non tantus est, cujus audiendi causa vadimonium deseratur, refellit eos l. 3. l. 4. de Jurisd. l. 6. §. 2. de tutel. l. 1. in fin. de offic. ejus ac ipsa coadunatio utriusque, quæ non fit in ipsa substantia, sed in persona exercente conspicitur, elegant Charond. d. c. Donell. 17. com. 8. Henr. Sver. repetit. lect. c. 6. Gentil. lib. 1. c. 3. Vult. 1. Jurispr. 12. Fab. 4. conject. 4.

XIX.

Quia autem in mixtura illa interdum magis excellit & eminent imperium, re-

B 2

sultant

sultant ea, quæ magis imperij dicuntur, interdum occultatur imperium, eminet verò jurisdictio, inde ea quæ magis jurisditionis sunt.

l. 4. h. t. Govean. ad d. l. 4. h. t. Don. 17. comm. 8. Gentil. lib. 1. c. 3. Cabot. 2. disput. 8. Coraf: 3. miscell: 17. & ad l. 4. de Jurisd. Sver. repet. lect. c. 6. Obrecht. c. 12.

XX.

Magis imperij, sunt jubere cavere prætoriam stipulationem, in bonorum possessionem mittere, in integrum restituere.

d. l. 4. de Jurisd. l. 26. ad municipal. l. 1. l. 4. §. 3. de damn. infect. & hæc denegantur magistratibus Municipalibus sicuti eruditè differit Cuiac. ad l. 4. h. t. Donell. 17. com. 8. Gentil. lib. 1. c. 3.

XXI.

Quò referenda sit tutoris datio, in anticipem disquisitionem venit; Ulpianus sanè eam nec imperij nec jurisditionis esse, sed ei soli competere cui nominatim hoc dedit vel lex vel Sctum vel princeps, perspicuè asserit.

l. 6. §. 2. de tutel. §. 3. instit. eodem l. 2. l. 19. l. 8. de tutor. & cur. dat. nihilominus tamen ad officium jus dicentis pertinere idem Ulpianus ait in l. 1. de Jurisd. ac in ea exerceri Jurisd. & imperium Donellus probat 17. comm. c. 8. Gentil. ad orat.

Divi

Divi Marci c. 1. Dicendum videtur tutoris dationem vigore Jurisdictionis quidem non competere, in ea tamen jam concessa exercenda & perficienda, refulgere Jurisdictionem ac imperium & ita accipio Ulpianum in l. 1. h. t. ac Paulum in l. 12. de offic. procos. & legat. Vid: de hac quaestione Dd. diversissimas opiniones Duar. c. 5. & ad l. 3. de Jurisd. Cujac. ad l. 1. eodem Francisc. de Clapper. conclus. 15. Bellon. 1. supp. 2. Sverin. c. 6. repetit. lect. Muscorn. n. 164. Longovall. part. 3. l. 3. h. t. Oldendorp. ad l. 1. de offic. ejus. Petr. Fab. ad l. 70. de R. J. Anton. Fab. jurispr. Papin. scient. tit. 12. princip. 1. illat. 14. Vacon. à Vacun. 6. declar. 78. Coraf. 5. miscell. 24. Vaud. 1. q. 22. Bronch. 1. enant. 13. Guibert. quaest. memorab. c. 10. Obrecht. de patroc. pupill. th. 50. Hackelm. illustr. quaest. disp. 1. Dn. Arum. exercitat: Justin. 3. Harprecht. ad §. 4. instit. de Attilian. tutor.

XXII.

Cum autem ea, quæ, jure Magistratus competunt mandari possint, etiam mixtum imperium mandari posse necesse est.

l. 1. §. fin. l. ult. de offic. ejus. nullus ferè recentiorum hoc negavit, Duar. c. 7. de Jurisd. Cuj. Oldendorp. Fab. ad d. l. 1. de offic. ejus. Coraf. ad l. 3. h. t. qui tamen ex parte dissentit, sicut etiam Francisc. de Clapper: conclus. 8. Longovall. part. 3. Charond. c. de mixt. imper. n. 26. Don. 17. comm. 8. Muscorn. n. 173. Vacon. 6. declar. 8. Gentil. lib. 2. c. 24. Obrecht. c. 10. Antiquiores, ea jure magistratus competere & mandari posse, sibi pervaserunt, quæ infimis seu municipalibus fuere permissa, quod merum somnium est, ac rationibus futilissimis ac refutatione non dignis nititur, quid eis profit l. 9. §. 1. de offic. procos. & legat. non video, per libellum, judicem, vel delegationem quis sanus intelliget, exactè §. illum explicat Budæus

Alciat. Petr. Stella Longovall. in commentar. ad d. §. Obrecht:
c. 10. Gentil. lib. 1. c. 29. Anton. Fab. in rational. ad d. l. 9.

XXIII.

Nil patrocinator Dd. l. 2. C. de pedan:
judic. aliàs difficilima, cujus sensus rectè
perceptus eorum sententiam magis e-
vertit, quam confirmat, tota siquidem
de dandis judicibus, non mandanda ju-
risdictione loquitur.

Vid. Donell. 17. comm. 22. Coraf. Longovall. ad d. l. 2. C. de
pedan. judic. Clapper. conclus. 2. Charond. c. quid sit Jurisd. n. 9.
Vacon. 6. declarat. 82. Muscorn. n. 173. Gentil. lib. 2. c. 2.

XXIV.

Mandata Jurisdictione quid transeat
videamus: totum Jurisdicundi offici-
um transire ex Ulpiano constat, ac con-
cessa Jurisdictione etiam ea concessa vi-
deri, sine quibus explicari non potest,
Jabolenus ait.

l. 1. §. 4. de suspect. tutor. l. 2. de Jurisd. Govean. Cuj. ad l. 1. de
Jurisd. Duar. c. 7. Robert. 4. sent. 22. Franc. de Clapper. concl.
16. n. 1. Zaf. Coraf. ad d. l. 2. Bellon. 1. supput. c. 7. Petr. Fab. ad l. 1.
70: de R. J.

XXV.

Transit mixtum imperium *a* cogni-
tio de suspectis tutoribus *b* judicis dan-
di licentia *c* restitutio in integrum. *d*

a d.l.i. §. fin. & l. ult. de offic. ejus *b* mandari potest & man-
data generali Jurisdictione transit l. 4. de offic. ejus l. i. §. 4. de
suspect. tutor. §. i. instit. eodem Govean. ad l. i. de Jurisd. Dua-
ren. c. 7. Petr. Fab. ad l. 70. de R. J. Sverin. repetit. lect. c. 6. Pac.
centur. i. quæst. 48. & 53. Oldendorp. Muret. ad l. 4. de offic. ejus
Obrecht. c. 5. Gentil. lib. i. c. 5. Anton. Fab. Jurisprud. Papin. sci-
ent. tit. 12. princip. i. illat. 14. *c* l. 3. de Jurisd. l. 12. de judic.
Duaren. c. 5. Cujac. ad l. 3. h. t. Gentil. lib. 2. c. 10. Specialiter hanc
potestatem lege deferri malè statuunt Govea. Coras. ad l. 3. de
Jurisd. Hottoman. 2. obs. c. 1. & 3. obs. c. 4. *d* l. 3. de restitut. in
integr. l. 26. ad municipal. l. ult. C. ubi & apud quos in integr.
restit. quæ tamen lex in ultimis verbis difficultate non caret
Duaren. ad d. l. ult. Vacun. à Vacun. 6. declarat. 81. Longovall.
part. 3. n. 15. Gentil. lib. i. c. 32.

XXVI.

Non transeunt quæ specialiter lege
deferuntur ut causæ voluntariæ Juris-
dictionis *a* consilii exercitium *b* trans-
actio de alimentis. *c*

a l. 2. de offic. procos. & legat. l. i. de offic. Jurisdic. l. 4. de ad-
opt. l. i. C. eodem. Paulus lib. 2. sentent. c. 25. De legis actionibus
vid. Duaren. c. 5. h. t. Oldendorp. Coras. ad l. 4. de adopt. Robert.
i. animadvers. c. 21. Cujac. in notat. ad animadvers. c. 21. & 15. ob-
servat. 16. Hottoman. lib. i. respons. amicabil. c. 30. Jacob. Ræ-
vard. de auctor. prudent. c. 2. Charond. i. verisimil. 3. Anton.
Fab. Jurispr. Papin. scient. tit. 10. princip. 4. illat. 2. Gentil. lib.
i. c. 34. *b* l. 2. in pr. de offic. ejus, malè Accursius interpreta-
tur auctoritatem manumittendi præbere Muret. ad d. l. 2.
Obrecht. c. 5. *c* l. 8. §. 17. & 18. de transact. Duaren. ad l. 3.
h. t.

XXVII.

Acquiritur jurisdictio vel jure magistratus vel ex mandato, vel enim lex dat, vel magistratus mandat, unde propria & aliena Jurisdictio.

l. i. de offic. ejus l. 5. l. 6. de Jurisd. lex dare deferre dicitur, magistratus mandare, eruditè Donel. 17. com. 8. Obrecht. c. 10. Gentil. lib. 2. c. 12.

XXVIII.

Hinc elegans quæstio suboritur, an Jurisdictio in dubio cumulativè an privativè concessa videatur, & prius amplectimur.

procedit cum respectu principis concedentis arg. l. 18. C. de solut. C. un. in fin. de prohibit. feud. alienat, per Frideric. tum respectu magistratuum l. 1. C. de offic. præfect. urb. l. ult. C. de Jurisd. §. & judicare Authent. de defensor. civit. Menoch. 2. præsumt. 18. Chassan. consuetud. Burg. rubric. 2. §. 1. gl. ult. n. 30. Wes. conf. 93. Mynsing. 6. observat. 99. Tessaure. decis. 132. Muscorn. n. 34. Dn. Arum. disp. p. 2.

XXIX.

Mandatam Jurisdictionem qui suscipit nil proprii habet, sed ejus qui mandavit Jurisdictione utitur *a* unde etiam ab eo non appellatur mandator, sed superior. *b*

a l. i.

a l. i. §. i. de offic: ejus l. 16. de Jurisdic: lex n. proprio jure
transfert Jurisdic: magistratus tantum usum exercitionem,
non jus & possessionem l. 5. de Jurisdic: Donell: 17. comm.
Muret. ad d. l. i. de offic. ejus *b* l. i. §. i. quis & à quo appell:
aliàs idem à seipso appellaretur Duaren: c. 8. Wesenbec: in pa-
ratit: ad d. tit: Muret: d. loc: Longovall: in l. 2. C. de Pedan: ju-
dic: part: i. Obrecht: Gædd: de sequestrat: c. i. n. 65. thes: 160.

XXX.

Quod secus est in judice dato *a* qui
longè sejungendus est in hac materia,
ab eo cui mandata est Jurisdic:io. *b*

a l. 21. §. i. de appellat: l. i. in pr. l. 3. quis & à quo appel:
qui variis in jure nominibus appellatur, datus l. 46. de judic:
specialis l. ult: C. eodem, delegatus l. 15. de re judicat: Pedane-
us l. 2. l. 4. l. 5. C. de Pedan: judic: rationem reddit Govean: in
rubric: de Jurisdic: arbiter l. i. C. de Pedan: judic: pulchrè Co-
ras: ad l. 3. h. t. *b* hunc errorem interpretum non distinguen-
tium judicem delegatum ab eo cui mandata est jurisdic:io pri-
mò notasse Contium Cujacius in recitat: ad l. 6. scribit, & sanè
præcipua differentia, unde reliquæ repullulant, in eo conspi-
citur, quod nec jurisdic:ionem, nec imperium habet l. 5. l.
15. in pr. de re judicat: sed tantum notionem, nec igitur judi-
cem dare potest l. 5. C. de judic. nisi à principe datus sit d. l. 5.
Plures accumulans Duaren: c. 8. & ad l. 7. de pact. Donell: 17.
comm. 6. & ad l. 5. de re judic: Obrecht: thes: 154. Vult: ad l. i.
C. de jurisdic: n. 22. Gentil. lib. 2. c. 8. Vid. Budæ: ad l. ult. de
senator. Longovall. ad l. 2. C. de pedan. judic. Charond. c. de
mixt. imper. Govean. in rubric. de Jurisdic: Cujac. Novell.
53. Bodin. de republ. lib. 3. c. 5. Muscorn. n. 159. Gædd. de se-
questrat. c. i. n. 65. Cabot. 2. disp. 8.

C

XXXI.

XXXI.

Occurrit legatus proconsulis, qui in multis cum eo, cui mandata est jurisdictio. convenit, in eo tamen differt quod multa singularia & specialia habet.

l. 6. §. 1. l. 13. de offic. procos. & legat. Petr. Fab. ad l. 70. de R. J. Gentil. lib. 2. c. 10. quoad mandatam jurisdictionem non est dissimilis ei cui mandata est jurisdictio, æquè enim aliena jurisdictione utitur, ac ille cui mandata est, nec post eam mandatam, aliquid proprii, quod antea non habuit, accipit, aliter atq; Cujacius d. l. 13. de offic. procos. & legat. & l. 4. de offic. ejus explicat. 7. observat. c. 21. vid. Oldendorp. ad d. l. 13. Muret. ad l. 4. Donell. 17. com. 8.

XXXII.

Mandata enim jurisdictione tutorem dare *a* manumittere potest *b* ac ab eo proconsul. appellatur. *c*

a l. 15. de offic. procos. & leg. l. 1. §. de tutor. & curator. dat. ab his §. ult. instit. de Attilian. tutor. *b* l. 2. l. 3. de offic. procos. & leg. l. 17. de manumiss. vindict. Oldendorp. ad l. 3. de offic. procos. Donell. 17. com. 8. Charond. 1. verisim. 3. Gentil. lib. 2. c. 10. Dn. Arum. disp. p. 1. Alit. Cujac. 1. observat. 1. Robert. lib. 1. recept. lect. c. 28. Hottom. lib. 2. amicab. respons. c. 1. Bodin. 3. de republ. *c* l. 2. quis & à quo appell. vid. Govea. ad l. 1. de Jurisd. Petr. Fab. ad l. 70. de R. J. Cuj. lib. 7. obs. c. 21. Wes. in paratit. ad d. tit. Gædd. de sequestr. ca. 1. n. 65. Gent. d. c. 10.

XXXIII.

Aliena jurisdictio vel est mandata,

de qua dictum, vel prorogata, est enim
receptum, ut si quis major vel æqualis
se subjiciat jurisdictioni alterius, possit
ei & adversus eum jus dici.

l.14. de jurisdic. l.4. de recept. arbitr. l.13. §. 4. ad SCtum
Trebellian. eleg: Ulpianus in l.1. de judic. ait, si se subjiciant a-
liqui jurisdictioni & consentiant, inter consentientes cujusvis
qui tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet, esse juris-
dictionem fac. l.15. h. t. l.1. l.3. C. eod. Govean. Duaren. Cu-
jac. Coras: ad d. l.14. Zas: 2. sing. respons. c.19. Sichard. Vultei.
ad d. l.1. C. de Jurisdic: Donell: 17. comm. 10.

XXXIV.

Procedere hoc videtur in conten-
tiosa, non verò voluntaria jurisdictione.

l.14. de manumiss. l.18. §.1. de manumiss. vindict. quia per
alium litigare licet, non verò lege agere l.166. de R. J. l.25. §.1. de
adopt: l.3. de acceptilat. l.3. C. de vindict. libert. l. un. in fin. de
off. consul: juncta l.15. §.3. l.20. §.4. de man. vindict. Govean:
ad l.14. de Jurisd. Cujac: 7. obs: 17. Vult: ad l.1. C. de Jurisdic.
Gentil: lib.1. c.19. Gilbert: Reg: 1. enant. c. 29.

XXXV.

An verò tali conventioni, qua ali-
us quam cujus jurisdictionis est, judex eli-
gitur, litigantes stare teneantur? muta-
ri voluntatem posse ante aditionem A-
fricanus respondit.

l. 8. h. t. l. pen. C. de pact: Alciat. 2. paradox. 7. Govean. Duaren. ad d. l. 18. Cujac. tractat: 7. ad African. in pr. Donell. 17. comm. c. 10. & ad l. pen. C. de pact. Vult. ad l. 1. C. de jurisd. n. 143. Gædd. ad l. 3. n. 45. de V. S. Coraf. 4. miscell. 5. Fachin. 1. controv. 61. Obrecht. thes. 169. Dn. Arum. disp. p. 2.

XXXVI.

Finitur jurisdictio & quidem propria seu ordinaria morte magistratus ^a ac etiam recusatione judicis ob justam suspicionis causam ^b

^a l. 6. h. t. c. 2. de offic. de leg. in 6. Gentil. libr. 2. c. 28.

^b l. 16. C. de judic. c. 41. & c. 61. de appellat. Hotoman. ad d. l. 16. Cujac. 9. observat. 23. & Novell. 53. Donell. 17. com. c. 24. Vult. 2. Jurispr. 30.

XXXVII.

Quod posterius tam in iudice dato, quam ordinario militat.

c. 4. c. 10. in fin. de for. compet. c. 39. de offic. de leg. l. 16. C. de judic. l. 9. de liberal. caus. l. 4. C. de jurisdiction. Authent. & consequenter C. de sentent. & interlocut. Novell. 69. c. 2. fac. l. 17. de Jurisdic. Cujac. 9. observat. 23. Oldendorp. cl. 7. act. 1. Donell. 17. com. c. 24. Dn. Arum. disp. de judic. Alit. Duaren. ad l. 10. de jurisdic. Sichard. ad l. 16. C. de judic. Mynsing. 2. observ. 52. Gail. 1. observ. 33. Bronch. centur. 1. affert. 66.

XXXVIII.

Mandata jurisdictio morte mandato-

dato-

datoris & revocatione mandati reinte-
gra finitur *a* Prorogata pœnitentia li-
tigantium ante aditionem facta. *b*

a l. 6. de jurisdic. l. 26. in pr. & l. 27. §. 3. mandati §. 10.
& 11. instit. eod. Govean. Duaren. ad d. l. 6. Gentil. lib. 2. c. 29.

b l. 18. h. t. Duaren. c. 6. Gothofr. ad l. pen. C. de pact. Treut-
ler. disput. 3. vol. 1. thes. 12. Zang. p. 2. de except. c. 1.

XXXIX.

Effectus jurisdictionis est produce-
re actionem confessoriam & negatori-
am qua defenditur.

Bald. in rubric. C. de usufr. Innocent. in c. de quarta ext.
de præscript. Jason. Fab. ad §. æquè instit. de act. Ferrar. in for.
libell. §. plena n. 7. Wesenb. in paratit. n. 13. vid. Vaud. 2. var.
q. 27.

XL.

Huc spectat Edictum de albo corru-
pto jurisdictionis perpetuæ causa pro-
positum, quod populare est, in 50. aure-
os, contra dolo malo corrumpentem.

l. 7. ibi Duaren. Govean. de jurisdic. Cujac. lib. 10. ob-
servat. 10. Coras. 4. miscell. 6. Forner. 1. select. c. 24. Busf. 1.
subtil. 2.

XLI.

In quo pœna actori, sicuti in acti-

C 3

onibus

onibus popularibus juris est, adjudica-
tur.

l. 12. de V. S. l. 3. in pr. de sepulchro viol. l. fin. de litigios. l. 5.
§. 5. de his qui dejec. vel effud. Donell: ad pr. de act. n. 14. Gædd.
ad l. 12. de V. S. n. 15. Dn. Arum. exercitat. Justinian: 18.

XLII.

Quod si familia alicujus album cor-
ruperit, plura facta intelliguntur, sicut
etiam in injuriis, ac pro singulis solida
pœna inferenda est, secus est in furto ac
damno dato.

l. 9. h. t. l. 34. de injur: l. 1. §. 1. 2. si famil: furt. fec. l. 32. in pr.
ad l. Aquil. Govean: Duarenus ad d. l. 9. Cujac: 8. obs. 20: Cha-
rond: 1. verisimil: 9. Zaf: intellect. singul. c. 28.

XLIII.

Nunc de iis qui munere jurisdicun-
di honorati fuerunt, & pro potestate si-
bi concessa jurisdictionem exercue-
runt. De his in genere Ulpianus ait:
Qui jurisdictioni præest, neque sibi jus
dicere debet, neq; uxori vel liberis suis
neque libertis vel cæteris quos secum
habet,

l. 10. h. t. Paulus in l. ult: h. t. neq; extra territorium neq;
supra jurisdictionem jus dicere posse, ait, nec generalem illam

regu-

regulam ab Ulpiano præscriptam infirmat Africanus in l. 77. de
judic. Govean. Costal. Fab. ad d. l. 10. h. t. Duaren. 1. disp. c. 51. Do-
nell. 17. comm. 25. Cujac. tractat. 3. ad African. & in recit. ad
d. l. 10. Coraf. 4. miscell. 9. Hot: in epit. de jurisd. n. 15. Bronch. 1.
assert. 20.

XLIV.

Merum imperium habueritne pri-
vatus, dubitatur, affirmat Cujacius &
Faber, *a* nos negamus. *b*

a Cujac. 21. obs. 30. Fab. ad l. 70. de R. J. Cabot. 2. disp.
5. *b* arg. l. 4. de recept. arbitr. l. 14. de jurisd. l. 3. de: off. præ-
sid. Sigon. 3. de judic. 1. Henric. Sverin. repetit. lect. c. 6. Dn. A-
rum: disp. 2.

XLV.

Merum imperium in urbe habuit
præfectus urbi *a* in provinciis præses *b*
proconsul. *c*

a l. 1. in pr. de offic. præfect. urb. l. 1. §. 3. de pœn. l. 3.
§. 1. & l. ult. de offic. præfect. vigil. l. un. C. eod. *b* l. 6. §.
8. l. 10. de offic: præsid: an jus deportandi ipsi planè fuerit de-
negatum non immeritò dubitatur, ob l. 6. §. 1. de interd. & re
leg: l. 2. §. 1. de pœn: l. 1. quando appell: l. 1. §. 3. de legat: 3. l.
6. §. 7. de injust. rupt: irrit: expedire controversiam hanc vide-
tur l. 7. §. 1. de interd. & re leg: vid. Cujac. ad l. 6. de injust.
rupt: test: Fab. ad l. 70. de R. J. Hotton: 3. observ. c. 12. Mu-
scorn: n. 102. Cabot: 2. disp. c. 5. Bronch: centur. 1. in miscell:
assert. 8. & 12. *c* l. 6. l. 7. l. 8. l. 11. de offic. procos: & leg. e-
legant: Govean: ad l. 3. h. t. Muret: tractat. de Jurisd. Obrecht:
c. 6. Longovall. parr. 3. l. 3. h. t. De quæstoribus parricidii an-
xiè disquiritur, an ipsi habuerint merum imperium, quia eo-
rum in scriptis veterum tenuis memoria est relicta, ut
Muretus loquitur, negat iis concessum merum imperium

Gove-

Govean. in d. l. 3. affirmant reliqui Sverin. repet. lect. c. 6. Obrecht. c. 6. quorum sententia probabilior videtur per l. 2. §. 23. ubi Zas. Cujac. Oldendotp. Muret. Oberlin. de O. J. De præfect. vigil. Vid. l. 3. l. 4. de offic. præfect. vigil. l. penult. de condict. caus. dat. l. un. C. de offic. præfect. vigil. De præfect. prætor. l. un. de offic. præf. prætor. l. 3. C. eod. l. 4. C. locat.

XLVI.

Mixtum imperium habuerunt consules *a* prætores *b* ac ii quibus generalis propriaque mandata est jurisdictio. *c*

a l. un. de offic. consul. l. 2. de in jus voc. primis temporibus, etiam merum l. 2. §. 16. de O. J. *b* l. 2. de in jus voc. l. 36. de injur. l. 16. l. 17. h. t. Muret. h. t. Govean. ad l. 3. Longovall. part. 3. l. 3. h. t. Cujac. ad l. 9. h. t. Gentil. lib. 1. c. 6. *c* l. 1. in fin. & l. ult. de offic. ejus.

XLVII.

Succedunt magistratus municipales *a* quorum duo sunt genera, Duumviri & Defensores. *b*

a de quibus l. 1. ad municipal. l. 18. l. 228. de V. S. Gell. lib. 16. noct. Attic. c. 13. Alciat. ad l. 228. de V. S. Gvid. Pancirol. tractat. de magistrat. municipal. Wesenb. in paratitl. Gædd. ad l. 18. de V. S. Gentil. lib. 2. c. 5. *b* l. 1. §. 9. de magistrat. convent. l. un. si quis jus dicent. non obtemperat. l. 2. C. de defensor. illi ex decurionibus eligebantur l. 1. C. de magistr. municipal. l. 6. de muner. & honor. hi ex plebe, l. 2. C. de defensor. differebant etiam officiis ut constat ex l. 3. l. 5. C. eod. unicam

unicum defensorem fuisse arguit l. 1. l. 3. C. eod. l. un. C. ut omnes judic. tam civil. vid. Donell. 17. com. 7. Gentil. lib. 2. cap. 5.

XLVIII.

De his quæritur, an omni imperio fuerint destituti quo inclinare Duarenus videtur: *a* nos illis denegata ea reperimus, quæ magis imperij sunt. *b*

a Duaren. c. 4. de jurisdic. dicit totam disputationem de jurisdictione pertinere ad pop. Rom. non magistratus municipales, & Longovall. part. 3. l. 3. h. t. ait jus civile ad eos de-
pressisse & pro abjectis habuisse ut mixtum imperium minimè concesserit, quos sequitur Bronch. centur. 1. miscell. assert. 11.

b l. 26. ad municipal. l. 2. de Jurisdic. l. ult. de offic. ejus l. 29. §. 7. ad l. Aquil. Donell. 17. com. 8. Cuj. ad l. 2. h. t. quamvis eorum jurisdictionem concisam non negemus ex l. 28. ad municipal. Authentic. de defensor. §. 3. l. 12. h. t. & c. vid. Pancirol. d. tractat. c. 8. Gentil. lib. 2. c. 5.

XLIX.

Excipiuntur duæ causæ, quas municipalibus prætor vel præses injunxit, nempe cautio & possessio cætera suæ jurisdictioni reservavit.

l. 1. l. 4. §. 3. de damn. infect. & habent id ex jure & edicto perpetuo scilicet ut cavere jubeant & possidere ex primo decreto, sicuti id doctissimè explicat Goveanus ad l. 4. de jurisdic. Cujac. ad l. 2. h. t. Gentil. lib. 2. c. 6.

D

L. An

L.

An mulctare potuerint, pulcher-
rimæ dubitationis est, affirmat Cujaci-
us, contrarium nobis videtur probabi-
lius.

l. un. si quis jus dic. non obtemp. l. 2. §. fin. de judic. l.
131. §. 1. de V. S. Cujac. ad l. i. h. t. Muscorn. n. 118. Gentil. lib. 1.
c. 7.

LI.

De Rectoribus Academiæ quid
affirmandum? Statuimus cum ijs, qui
mixtum imperium eis concessum esse
demonstrant.

Authen. habita C. ne fil. pro patr. Sichard. ad d. Auth.
Muscorn. n. 75. Treuler. disput. 3. thes. 4. vol. 1. vid. Donell. ad d.
Authen. Oldendorp. de jure singular. Gentil. lib. 3. c. 17. Dn.
Arum. disput. 2.

LII.

Jure Saxon. duæ jurisdictionis spe-
cies traduntur una superior quæ causas
criminales, altera inferior quæ civiles
comprehendit.

Sandrecht. lib. 1. art. 68. & lib. 2. art. 13. juncta gl. Reinh.
part. 6. diff. 46. Coler. de process. execut. part. 2. c. 1.

QUÆST.

QUÆST.

An in possessorio fundetur
jurisdictio feudalis,
domini vel parium, an
ad ordinarium ea spe-
ctet?



D 2 DE-

DECANUS ET
CÆTERI DOCTORES
FACULTATIS JURIDICÆ
ACADEMIÆ JENENSIS.
L. S.

QUE MADMODUM
in plantis usu venire solet, ut si
quæ solum fertile sunt, nacta
culturâ accedente feliciter sur-
gant, & in herbâ adhuc delectationem sui
& spem fructus uberioris faciant: ita quoq̄
cum hominibus comparatum est, ut ab ipsis
statim incunabulis indoles sese prodat, quæ
si non negligatur, sed ea, quam decet, ratio
ejus habeatur, in sui amorem nos rapiat, &
quæ virtutis maturitas, quantæq̄ fruges in-
dustriae sint, futurae significant. Utq̄
istæ nos delectant, sic ante tempus, & in
solo

solo enata minus conveniente, quantum-
vis magnum quid ab initio polliceantur:
quia tamen antequam maturitatem suam
consequantur, flaccescunt, eas despicere sole-
mus: quem ad modum ingenia præcocia,
utut nature dotes supra consuetum, &
quam ea fert ætas præstantiora sese profe-
rant, tamen in doctos minimè probantur.
Quâ de causâ Philosophus, ad discernenda
ejusmodi ingenia actiones esse attenden-
das, monet, ut si quidẽ illa ab habitib. profi-
ciscantur, vel saltem dependere inde vide-
antur, præmatura illa non dicamus, sed ex-
cellentia cuidam nature, quæ non præcurrit
suum habitum, sed fortiora semina illius
continet, adscribamus. Themistoclem
certe à pueris indole sapientem & studio ad
res magnas propensum, disciplinas morales,
quæ ad voluptatem vel urbanitatem con-
ferunt, segniter & lentè arripuisse, quæ verò
de prudentiâ vel rebus agendis tractant,

D 3 præ-

*præter ætatem arripuisse legimus, ut pluri-
 bus laudes ejus Plutarchus persequitur. De
 Cyro, Alexandro Magno, Alcibiade, Her-
 cule, Achille, alijsq; innumeris, quos sese à
 pueritia gesserint, in vulgus etiam notius es-
 se arbitramur, quàm ut hanc telam hoc in
 loco pertexere necessum sit. Huic classi
 meritò accensemus CHRISTOPHO-
 RUM CAROLUM à BRANDEN-
 STEIN, qui à Parente suo Magnifico &
 Nobilissimo Viro ESAIA à BRAN-
 DENSTEIN Illustrissimo Principi ac
 Dn. Dn. CHRISTIANO II.
 Saxonie Duci & Electori, Dn. nostro cle-
 mentissimo, à consilijs Secretioribus, & ju-
 dicij supremi Curialis in Electoratu Præsi-
 delectissimo, de manu in manum Huma-
 nissimo & Præstantissimo Viro M.
 CHRISTIANO MAMPHRASIO
 cum fratre JAN-GEORGIO ad jus no-
 strum addiscendum privatim traditus, &
 pri-*

primo Lipsiam, inde ad nos missus, vitam suam ita instituit, ut nemini molestus, jucundus omnibus & affabilis, quibus cum conversatus fuit, esset. Jurisprudentiam operam navavit perquam diligentem, in qua eam curam sedulo incubuit, ut cum fratre suo JAN-GEORGIO hac in re esset ipsi honesta contentio, uter ab altero vinceretur; ingenio cum eleganti, tum acuto & prompto praeditus est. Id quod praeter alia Labyrinthus Jurisdictionis, de qua incertas conclusiones redacta, publice disputationem sub Praesidio Dn. Collegae nostri JOHANNIS SVEVII U. J. Doctoris, Professoris, Dicasterij Provincialis & Scabinatus Assessoris dignissimi, habuit, ostendit. In ea enim ita se gessit, ut nesciverimus, aetatem magis (agit enim jam quintum decimum aetatis annum) an felicitatem ingenij miraremur. Ad singula profecto argumenta ex jure nostro desumpta, prom-

promtè, acutè, eleganter, atq; ad rem re-
spondit, exemplumq; planè singulare in hac
Academia reliquit, quam etiam, ne quis
favori vel auribus nos vel minimum dare
suspicaretur, in testem producimus. Quæ
insuper ominus loco hisce paucis omnia ipsi
fausta precatur:

Dî tibi fata duint, serventq; sequen-
tibus annis,
Publica res per te stet, stetq; Eccle-
sia, patris
Excitet exemplum te, famæ ingensq;
cupido.

Jena Kal. Augusti Anno 1607.



Ad

I.



Ad

Nobilissimos Adolescentes,
JAN - GEORGIUM
ET
CHRISTOPH - CAROLUM
Fratres Germanos,

Generosi atq; Magnifici Viri *ESAIÆ*
à Brandenstein / in Dypurgk / Gruna / Krowik & Knau/
Illustrissimo Principi *CHRISTIANO II.* Saxoniae Duci &
Electori &c: à Consiliis secretioribus, & judicii supremi Electoratus
Praesidis eminentissimi, Filios, Publicè de Jure in Academia
JENENSI summa cum laude di-
sputantes.

Extulerat cum fortè caput Sala fontis ad undas
Impositura novas leges, & jura vocatis
Equoreis Nymphis, audit te, *JANE-GEORGI,*
Et te *CHRISTOPHORUM-CAROLUM* stipante coronâ
Atq; senum atq; Virum juvenumq; resolvere nodos
Juris, ut à quoquam, Themidis qui totus in arte
Consenuit, fieri melius non possit ad unguem;
Audit, & attonitis animis immobilis haret
Immemor ipsa sui, facundi pectoris artes
Et lingua mirata decus, vix septimus illum,
Quintus at à decimo hunc, inquit, vah! cæperit annus,
Et sic ingenium atatem prævortier! hisce

E

DI



DI superi aspirate ausis, date tempora vite.
Si tales dederis plures mihi Juppiter, haud me
Vel Padus Eridanusve superbus vicerit unquam.
Ille vel hic quamvis æquet sua nomina cælo,
Pauperis atq; putet doctam numerare juventam.

A D

DN. CHRISTIANUM MAMPHRASIUM

MAMPHRASI, inuideamus, aut amemus?
Hanc qui Academiam Salæ ad fluenta
Pari hoc Nobilium facis carere,
Fratum BRANDSTENIUM: quid ipse cessem
Fateri, invideo, heu, & inuidebo,
Donec restituas salanæ eosdem,
Aut huc ingenio pares & arte
Ac etate alios simul reducas.

Johannes Svevius J. U. D. P. P.

II.

BRANDSTENIAM sobolè solventem ænigmata Ju-
Audijt è cathedra Phœbus, & obstupuit: (ris
Ipse, ait, imberbis juvenis florentibus annis
Aonium teneo jugiter imperium:
Nobile par fratrum hoc prope jam puerilibus annis
Differit è cathedra, quæ decuere senes.

Macti

Maesti animo juvenes, magni spes magna parentis,
Spes patriæ, generis fama, decusq; scholæ:
Quos ego jam insolitis, sed veris laudibus orno:
Mox patria ut columen præsidiumq; colet.

*Zacharias Brendel Med. D. & Profess.
in Salana pub. F.*

III.

Inclita Nobilitas, quæ nominis hujus honorem
Jure sibi sumit, mihi quattuor esse videtur,
Singula si numeres aptè, suffulta columnis.

Prima Patrum virtus veteranaq; gloria, quondam
Sæpius in dubiis Patriæ spectata periculis:
Seu procul hinc esset nostris pellendus ab oris
Hunnus: seu Francos metuens, & Teutonibus arma
Herculeas fugeret Saracenus ad usq; columnas.

Altera magnorum Regum vox publica, magna
Debita virtuti qui præmia solvere gaudent
In signes titulos, & Nobilitatis honores.

Tertiâ si qua sit dubites: ea propria virtus,
Et proprium cuiusq; decus, seu Marte paretur
Et sagulo, seu fortè togâ quærat, & arte.
Nobilitatis honos, & gloria summa: Parentum
Si pia posteritas laudes virtutibus æquet:
Quale manus addunt ebori decus: aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.

Ultima priscorum vetus est opulentia patrum
 Ad sobolem translata suam, serosq̄ nepotes,
 Quam Stagirita senex addit. Sed claudus, & excors
 Sæpe viros summos Plutus malè ditat: egestas
 Nec potis est veræ tenebras offundere laudi.

Hæc ego dum modulor, subidò mihi cynthius taurem
 Vellit, & an nosti quos jam memoraveris insit?
 Hic BRANDENSTENIOS Fratres ego protinus inquam,
 His numeris designo meis: te JANE GEORGI,
 Et te CHRISTOPHORUM CAROLUM: quibus omnis
 ad unguem

Nobilitatis honos, nomenq̄, decusq̄, perenne
 Convenit. Egregios quid avos, quid multa vetustæ
 Commemorem bene gesta Domus? quid plurima nostri
 Temporis acta canam? Patriæ florentis habenas
 Saxonica vester Genitor moderatur in aulâ,
 Et præses Themidis justâ sua cuiq̄, bilance
 Dividit, & tetricas properat componere lites. (Gentis
 Quid SCHVVIBOLDE tuas, quid ISACE vir optime
 O BRANDENSTENIÆ duo lumina carmine laudes
 Enumerem? vestris populiq̄, Ducesq̄, reguntur
 Consiliis: vestram dives Thuringia, vestram
 Misnia sentit opem, sentit Voilandia tellus.

Hæc igitur generis virtus antiqua tot ante
 Secla novæ laudis tulit inclyta præmia, magni
 Præmia quæ Reges tribuunt, summiq̄, Monarchæ,
 Cælatum signis clypeum, galeamq̄, comantem,
 Et sylvas, & agros, & flumina piscibus apta.

Hæc

Hac eadem virtus tot jam labentibus annis
Transiit ad sobolem non interrupta paterni
Æmula splendoris. Testes mihi vera canenti
Vos eritis Fratres. Vix jam tria, vixq̄ tenellæ
Lustra per egistis vitæ: Sed virvida longè
Ante venit virtus annos, Juvenesq̄, Virosq̄
Et tremulos post se vetulos invicta relinquit.
Vos nuper Salici stupuere theatra Lycei
Miscentes pulchrum mediâ certamen arenâ,
Et dubij laqueos juris, pedicasq̄ secantes
Ancipiti rectæ gladio rationis, & artis.

Deniq̄, nec vobis opulentia defit. Habetis
Omnia quæ solidæ sunt Nobilitatis: habetis.
Omnia quæ teneris voveat nutricula pupis.

Vos amat, & retinere cupit Salana, simulq̄
Omnes, qui vestri similes sacrata Camænis
Ocia non rumpunt ferro, neq̄ sanguine gaudent
Ceulupus, & furvis quæ fallit hyæna sub umbris.

Gratulor has dotes vobis, magnoq̄ Parenti
Gratulor, & toti patriæ: neq̄ fallor amore

Augurioq̄ meo: si quæ bene cepta secundet

Ipsè DEUS, justusq̄ labor simul urgeat: olim

Æreas summi scandetis honoris ad arces,

Et BRANDENSTENIUM tolletis ad æthera nomen.

Wolfgangus Heider M. F.



E 3

IV.

IV.

PARODIA HORATIANA
ex lib. 4. Carm. Oda 3.

Q Uem tu summe D E U S semel
 Nascentem placido lumine videris,
 Illum non furor Africus
 Turpabit focium, non Venus impigrum,
 Curru ducet Olympico
 Victorem, neq; tot facta tyrannica
 Squalentem vitiis ducem,
 Qui præcepta Patrum rideat & D E I,
 Ostendent tumidæ stygi:
 Sed quæ *Suada* suo flumine perluit
 Et dotes C H a r i t u m, V i c u m,
 Fingent Æolio carmine Nobilem,
 Et vos B R A N D S T E N I Æ domus
 O F R A T R E S gemini, lucida sidera
 Musarum atq; arbiter artium,
 Dignatur soboles inter amabiles
 Doctûm apponere circulo,
 Ut jam Parca minus læserit in vida.
 O sangvis bone: quam genus
 Quam formam proprio Marte beaveris.

O sangvis

O sanguis studiis quoque;
Donature, tuis si liceat, decus.
Tanti juris Apollines
Et tanti generis germina publica
Emirabitur insolens
Ætas, quæ pedibus venerit abditis.

*M. Thomas Sagittarius P. Cæs.
& Gr. Ling. Prof. Publ.*

V.

Ode Alcaica

In honorem Nobilissimi, sa-
gacis & industrii adole-
scentis

CHRISTOPHORI CAROLI
à Brandenstein, respondentis

Consideratè singula dicere,
Eucleatè singula scribere
Quæ maximâ curâ laborat,
CHRISTOPHORI CAROLI camœna
Jam prodit armis ingenij sui
Depræliari discupiens, neq;
Abstrusa jurisdictionis,
Atq; recondita ventilare

Quæsitæ

Quæsitâ abhorret. Non satis est enim
 Multum legendo literulis domi
 Impalluisse, atq; audiendo
 Repere semper humi in Lycéo:
 Sed proferamus nos quia publicè
 Facti viri olim, quæ puerilibus
 Percepimus lustris, theatrum
 A teneris quoq; jure amemus,
 Atq; ad loquendum surgere publicè
 Discamus. Ergo jam CAROLE es mihi
 Insigniter de prædicandus,
 Qui specimen studij editurus
 Scandis cathedram juridici fori.
 Doctore claro præside S V V A B I O
 Quasq; expedis objectiones,
 MAMPHRASIIQUE fidem secutus,
 Et institutum jam monitu patris
 Non usus alis Icariis volas
 Per aërem; instructus sed arte
 Belligeras, acieq; mentis.
 Donata velox ante pilos tibi est,
 Mirabitur quam J E N A, scientia
 Legum. Euge ad optatam illa frugem
 Perveniat, facias J E H O V A.

*M. Michael Pharetratus Eccle-
 sia Weyrensis Parochus.*

VI.

P Ar fratrum generis lumine nobile,
 Par fratrum ingenii nobilius bono,
 Pubescentibus annis

Canas anticipans nives:

Quis vestros animat tandem animos De-
 Thyrso percutiens laudis idonea, (us,
 Et calcaria subdens

Ad virtutis adoream!

Quis nondum anthereona ambit amabili
 Flos primus nebulâ, vixq; puertia

Quos cessantibus annis

Transcribit juvenum choro

Ætas: tam facinus grande capessere

Aufos, Ecnomies in penitralia

Ut sese penetrare

Nequaquam veriti sient!

Cui non intimius cor occupet stupor,

Cui non læva simul pectora palpitent,

Dum vos spectat ephobos

Prendentes cathedram Dices,

F

Fun-

Fundentesq; senum vocibus amulas
Voces, totq; catos non sine gloria
Sese opponere griphis!
Vobis JENA loquentibus
Ad Thuringiacum percelebris SALAM
Adsurgit, venerans vos pueros-senes,
Et spectacula mirans
Exemplo sine prabita.
Jam postquam satis est Evnomia datum
Jenae, Euganeo sistimini polo,
Et cum moribus urbes
Spectatum ite, rediteq;
ITE, ITE, & Patrium pectus amabili
Farcitum latitiã reddite. Vos de hinc
Par equabile fratrum
Conatu referet pari.

Justus Zinzerling.



VII.

Nobilissimo & Amoenissi-
mi Ingenii adolescenti

Dn. CHRISTOPHORO CAROLO
à Brandenstein,

Sic decet! Excellens teneræ flos CARLE juventæ
Æmule magnamini, Magnificiq; patris.
Perge bipartiti properare per æquora Juris.
Quodq; legis, deinceps non remoreris, iter.
Te circumfilient squamoso ventre cerastæ,
Scyllaq; monstrosos exhibitura canes:
Quin etiam vires jungendo fortitè Evris,
Auster in incertum vela sonorus aget.
Quid tum? mitescent quævis adversa, Dicesq;
Parcet amatorem deseruisse Thetis.
Sidera nec fuerint ullis obscura tenebris,
Purus & Orion, pura nitebit Hyas.
Inde revertentes amicibunt ferta carinas,
Semper & in placido littore tutus eris.

Observ. caussa scrib.

Theodorus Sitzman Thuringus.

F 2

VIII.

VIII.

R Ari animi, virtute pares & stemmate clari,
 Semina, dum modò jam, Patriæ virtutis, Ephebi
 Proditis & mentis celsæ spiratis odores,
 Et latii juris nodos, abstrusaq; senfa
 Excutitis graviter suggesta **SALANA** tenentes:
 Attoniti novitate viri, juvenesq; senesq;
 Suspiciunt linguaq; decus, legumq; profundam
 Notitiam, fructus mirantur & indolis altæ.
 Sat benè! congrator plausu ubere, textitè telam
 Inceptam, tanti & vestigia carpite patris,
 Quo duce Romulei sinuosa volumina Juris
 Pandite iudicio, decus & superaddite vestro
 Antiquo generi; nec enim nos omnia fallunt,
 Quin quondam ingenio sit magnus uterq; futurus.

Debita observantia causa

Deproperabat

ADAMUS HERR V. V.

F I N I S.

Albion

01 A 6518

ULB Halle 3
 002 937 514



VD 17

Wiso ✓

Albion



Handwritten Latin text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in approximately 25 lines. A large, decorative initial letter 'B' is written in blue ink with red filigree flourishes extending into the right margin. The text appears to be a fragment of a larger work, with some words in red ink (rubrics) interspersed among the black text.

Handwritten marginal notes in black ink, located on the left side of the page. The notes are written in a smaller, cursive script and appear to be commentary or corrections related to the main text.

Handwritten marginal notes in black ink, located at the bottom left of the page. These notes are also in a cursive script and seem to provide additional information or references.

Vertical marginal notes on the right side of the page, including the number '17' and other faint markings. These likely serve as a table of contents or a reference system for the text.





III.

DISPUTATIO
DE
JURISDICTIONE

Quam

C. D. A.

Permissu Amplissimi Jctorum ordi-
nis in illustri Salanâ

P R Æ S I D E

Dn. JOHANNES SVEVIO J.U.D.
*Professore publico, & Dicasterij Provincialis
Assessore:*

Publicè in acroasi Jctorum discuti-
endam proponit

Ad diem 1. August.

CHRISTOPH CARLL von Brandenstein.

J E N Æ

Excudebat Christophorus Lippoldus,
ANNO M. DC. VII.

